

579 II. Exspirat, si proles impubes hæres constitutus venit ad annos pubertatis. Communis ac certa textu claro §. pen. Instit. de Pupill. substit. ibi: Si hoc tempus (pubertatis) excesserit, Substitutio evanescit. Concordat L. 14. ff. de Vulg. Ratio est, quia proles pubes facta, sibi ipsi Testamentum facere, & hæredem pro libitu instituire potest, l. A qua ætate, 5. ff. Qui Testam. facere poss. III. Si Testator brevius tempus, quam pubertatis præfixit, illudque elapsum sit: v. g. Si dicit Testator: Filium hæredem instituo, & si intra 10. annos ætatis suæ moriatur, substituo Cajum: elapsis 10. annis, exspirat pupillaris Substitutio. Textu expresso l. Si ita quis. 21. ff. de Vulg. & Pupill. substit. ibi: Si ita quis substituerit: si filius meus intra decimum annum decesserit, Sejus hæres esto: dein hic ante quartumdecimum, post decimum decesserit, magis est, ut non possit bonorum possessionem petere substitutus. Rationem statim subjungit Legislator: Non enim videtur in hunc casum substitutus. IV. Exspirat, si substituitus hæreditatem paternam non adit, L. 2. §. 1. & L. 10. §. 4. ff. eod. Et de his nulla est inter DD. controversia, bene verò circa casum, de quo

580 Quæritur VI. An exspirante ob pubertatem advenientem Substitutione pupillari, exspirat etiam tacita Vulgaris comprehensa in expressa pupillari? Senlum quæsti capies ex sequenti casu, quo parens filium impubem hæredem instituit, eique Pupillari substituit Cajum, dicendo v. g. Filium meum hæredem instituo, eique, si ante annos pubertatis decedat, Cajum substituo: filius verò post mortem patris pubes vel impubes existens repudiat hæreditatem ejusdem: quæritur jam, an post adventum pubertatis exspirat non tantum Substitutio pupillaris juxta dicta num. præced. sed etiam tacita Vulgaris, ita ut substituitus non tantum à successione bonorum puberis, sed etiam hæreditatis paternæ, quam alius vi tacite Substitutionis arripere posset, excludatur.

581 Resp. Quamvis olim opinio affirmativa valde communis fuerit, hodie tamen communior & verior est negativa. Covarruvias de Testam. cap. 16. §. 5. an. 9. ubi Conclusionem per undecim rationes & Juris Fundamenta solide propugnat, solutus argumentis in contrarium adductis. Haunoldus Tract. 7. cap. 1. de Subst. Pupill. Controv. 4. num. 99. Socianus, Imola, & alii à Covarruvia citati, arg. l. Jam hoc jure. prin. ff. de Vulg. & Pupill. Ratio autem defumitur ex præsumpta voluntate Testatoris substituentis: hoc ipso enim, quod Testator in casu, quo filius impubes hæres quidem esset, tamen ut impubes decederet, voluerit tam sua, quam pupilli bona ad substitutum venire, l. Sed si plures. 10. §. Ad substitutos, 5. ff. eod. merito præsumitur voluisse, quod si filius patris esse nolit, bona saltem sua paternam nempe ad dictum substitutum devenirent, arg. l. Hæredes mei. 57. §. 1. ff. ad S. C. Trebell.

582 Colliges, quod si filius institutus hæres, post mortem patris, hujus hæreditatem repudiet, substitutio Pupillaris illico capere possit hæreditatem paternam, sive dein filius ut pubes jam, sive impubes repudiet hæreditatem paternam. Quod si ut impubes adhuc repudiet eandem hæreditatem, & intra annos pubertatis moriatur, substituitus etiam in bonis pupilli defuncti succedet, quia per repudiationem hæreditatis paternæ ab impubere factam, pupillaris Substitutio non exspirat.

583 Quæritur VII. Quid sit Substitutio exemplaris, à quo, cui, & quomodo fieri possit? Resp. I. Substitutio exemplaris (sic dicta, quia ad exemplum pupillaris fit, unde & quasi pupillaris dicitur) est; quæ parens liberis furiosis, vel mente captis (aut simili modo testari à Lege prohibitis) hæredibus instituit, alium hæredem substituit in eventum, quo in tali statu moriantur. Ita in re communis, arg. §. 1. In-

stit. de Pupill. substit. & l. Humanitatis. 9. C. de Impub. & aliis substit.

584 Resp. II. Exemplariter non tantum pater, sed mater, & quisvis ascendentium substituire possunt, Covarruvias de Testam. cap. 16. §. 6. n. 1. Ludwell. p. 2. cap. 2. Schneidew. lo. cit. de Exemplari substit. Molina Disp. 185. arg. cit. l. Humanitatis. 9. C. de Impub. & aliis substit. cum communis aliorum. Ratio est; quia hæc Substitutio non fundatur in patris potestate, sed in humanitate & affectu parentum erga liberos, arg. cit. L. 9. C. eod. ibi: Humanitatis intuitu parentibus indulgemus &c. ubi Jus, uti patet, non distinguit inter parentes. Et merito, quia eadem censetur in parentibus erga liberos humanitas, pietas, & affectus, l. Maximum. 4. C. de Liber. præterit.

585 Resp. III. Substitutio exemplaris omnibus, & singulis furiosis, & mente captis, sicut & ob alium corporis defectum testari impeditis, ut putâ, mutis, furdis, item & prodigis, sive dein sint puberes, sive impuberes, sive in patria potestate constituti, sive emancipati, fieri potest. De furiosis & mente captis ferè conveniunt Doctores ob clara Jura. De mente captis quidem §. 1. Instit. de Pupill. substit. ibi: Si quis mente captus habeatur. & L. 9. C. de Impub. substit. ibi: Si mente captus vel captus sit. De furiosis autem l. Divus Marcus. 14. ff. de Offic. Præsidi. ubi furiosus mente captus dicitur, & reputatur. De mutis verò, furdis, & prodigis, docet Covarruvias lo. cit. §. 6. num. 1. Molina Disp. 185. n. 1. Hunn. p. 4. Tit. 22. cap. 2. n. 5. Schneidew. lo. cit. num. 4. Gomez vvar. Resolut. Tom. 1. cap. 6. n. 5. & Communis aliorum, contra Perez, & paucos alios. arg. l. Ex factio. 43. ff. de Vulg. Fundamentum delimitur ex identitate rationis fundatæ in humanitate & pietate parentum, juxta dicta num. præced. Ultima pars, videlicet, Sive sint puberes sive impuberes &c. communiter conceditur, arg. cit. §. 1. Instit. de pupill. ibi: Et si sint puberes &c. Ratio autem jam est allegata, videlicet, quod potestas patria in hæc Substitutione non attendatur.

586 Resp. IV. In Substitutione exemplari, necesse est, ut ordo in personis substituentis servetur, ita videlicet, ut si ille, cui fit Substitutio, habet descendentes, hi necessarîo debeant substitui: si verò descendentes carens fratres habeat, hi quoque ante alios necessarîo instituenti sint: si verò nec descendentes, nec fratres illius existant, quis extraneus juxta libitum Testatoris substitui possit. Communis & certa. Textus expressus Conclusionem adhuc clarior explicans est in l. Humanitatis. 9. C. de Impub. & aliis substit. Concordat §. 1. Instit. de Pupill. substit.

587 Ceterum ad Substitutionem exemplarem non requiritur certa verborum formula, potestque fieri verbis generalibus, & implicitis sine expressa aliqua furoris, vel amentie mentione, dicendo v. g. Filium meum hæredem instituo, eique Cajum substituo: Covarruvias lo. cit. §. 6. n. 9. Menochius lib. 4. Præsumpt. 49. n. 5. Zalius ad l. Ex factio. ff. de Vulg. n. 35. Hunn. lo. cit. cap. 4. & alii. Ratio est; quia hoc ipso, quod furioso vel amentis alius substituitur, præsumitur Substitutio exemplaris, casu quo tales substituit, qui de L. 9. C. de Impub. & aliis substit. substitui debent. Deinde fieri potest verbis specialibus facta furoris v. g. mentione, ita: Filio meo furioso, aut amentis Cajum substituo: cujusmodi Substitutionem vocat Covarruvias & Menochius lo. cit. exemplarem specialem. Item fieri potest taliter: Filium furiosum hæredem instituo, & si hæres erit, atque in furore decesserit, Cajum substituo, quæ Substitutio exemplaris singularis à citatis DD. vocatur.

588 Quæritur VIII. Qui sint effectus Substitutionis exemplaris? Et quando exspirat? Resp. I. Effectus hujus Substitutionis esse penè eisdem, cum effectibus

tibus Substitutionis pupillaris. Ratio est; quia ad exemplum, seu similitudinem hujus introducta, indèque exemplaris, seu quasi exemplaris dicta est. arg. l. Humanitatis. 9. C. de Impub. & aliis substit. atque dictum est supra. Hinc I. efficit, quod substituitus non tantum bona substituentis Testatoris, sed etiam furiosi, vel amentis, cui substituitur, cuncta acquirat, si is in furore, seu amentie statu discedat. Ludvvell. p. 2. cap. 2. Schneidew. lib. 2. tit. 16. §. de Exemplari substit. Covarruvias lo. cit. n. 10. Bartolus in l. Ex factio. n. 30. ff. de Vulg. & Communis aliorum arg. cit. §. 1. Instit. de Pupill. substit. & L. 9. C. de Impub. & aliis substit. II. Quod sicut pupillaris, ita & exemplaris continet tacitam vulgarem; ut proin in casu, quo filius patris hæreditatem non adit, sed in furore decedit, nihilo minus substituitus capiat bona. Schneidew. & Ludvvell. lo. cit. Zalius in Tract. Jurcess. cap. 3. cum Bartolo, & communis aliorum.

589 Num autem III. per Exemplarem Substitutionem mater etiam quoad Legitimam excludatur à successione in bonis amentis filii, sicut excluditur per pupillarem expressam à successione in bonis impuberis, major est controversia inter DD. Molina liquidem Disp. 185. n. 5. Gomez Tom. 1. varior. Resolut. cap. 6. n. 7. Baldus, & Jalon negativam tenent, ducti eâ ratione; quia Imperator hoc ipso, quod in casu, quo existunt fratres amentis, eos præ aliis extraneis substitui velit, censetur id à potiori de matre, utpote magis propinqua, velle. Verùm opinio affirmativa est communior, Jurique conformior: tum quia exemplaris ad similitudinem pupillaris est introducta, consequenter ejusdem effectus, ubi Jus aliud expressè non disponit: tum quia hoc ipso, quod Imperator fratres existentes amenti substitui imperet, & matris non recorderet, eam excludam velle censendus est, cum exceptio unius firmet Regulam in contrarium in casibus non exceptis. Et ita sentiunt Covarruvias lo. cit. n. 10. Ludvvell. lo. cit. Bartolus lo. cit. Curt. Jun. in cit. l. Humanitatis. 9. C. de Impub. & aliis substit. ac testibus ipsi Adversariis, communis aliorum.

590 Resp. II. Substitutio exemplaris exspirat I. Quando ille, cujus substitutus alius est, liberatur à furore, amentia, aut aliâ infirmitate incapacem redente ad testificandum. Omnes, textu Claro §. 1. Instit. de Pupill. ibi: Sin autem resipuerint, eandem institutionem infirmari: Limita, nisi situm, vel brevi iterum relabatur in antiquam infirmitatem; hoc enim in casu Substitutio non totaliter exspirat, uti bene advertunt Gomez lo. cit. Covarruvias lo. cit. n. 11. Menochius lib. 4. Præsumpt. 50. n. 6. Jalon in l. Ex factio. ff. de Vulg. n. 43. & communis aliorum. Ratio est: tum ne alias inanis & ludibriosa videatur talis Substitutio, arg. l. Cùm aliis. 6. C. de Curat. furios. vel prodig. Tum quia in simili casu potius ad tempus cessare, & suspendi, quam extingui censenda est talis Substitutio; prout in simili loquitur J. C. in l. Qui res. 98. §. Arcam. 8. ff. de Solut. Quod si tamen furor vel amentia notabile temporis spatium cesserit, Substitutionem penitus exspirare, merito volunt multi Doctores apud Ludvvell. lo. cit.

591 Illud certum est, quod si furiosus tempore lucidi intervalli facit Testamentum prout potest juxta dicta superius n. 285. & 286. Substitutio exemplaris totaliter exspirat, Mantica de Consect. ult. vol. lib. 5. tit. 16. n. 26. Zalius ad l. Ex factio. ff. de Vulg. n. 41. Gilken ad l. Humanitatis. C. de Impub. & aliis. n. 54. Ludvvell. lo. cit. arg. l. Ex factio. 43. ff. de Vulg. Ratio est; quia hoc ipso, quod Testamentum tale valeat, Substitutio ei contraria evanescit.

592 II. Extinguitur Substitutio exemplaris, si post eam furioso nascantur liberi. Schneidew. lo. cit. n. Reiffenstuel Jus Can. Tom. III.

15. Ludvvell. lo. cit. & alii, textu claro l. Ex factio. 43. in prin. ff. de Vulg. Nec obstat, quod dicit Zalius, Fuctolam non gignere liberos; adeoque casum hunc non habere locum: nam contra est, quod quamvis furiosis & amentibus matrimonium contrahere non liceat, contractum tamen ab eis valeat, in eoque liberos habere possint arg. l. Patre furioso. 8. ff. de His, qui sui, vel alien. jur. III. Exspirat primo, & quarto modo, quo supra n. 578. & seqq. pupillarem exspirare diximus.

593 Quæritur IX. Quid sit Substitutio reciproca, seu breviloua? Quomodo fiat? Quos effectus habeat? & quando exspirat? Resp. I. Substitutio reciproca est illa, quâ Testator plures hæredes instituit, eoque sibi invicem substituit. Est in re communis: patetque ex l. Jam hoc jure. 4. ff. de Vulg. ibi: Si pater duos filios hæredes instituat, eosque invicem substituat, in utrumque casum, recipiam Substitutionem factam videri. Concordat l. Qui plures. 23. l. Lucius. 45. ff. eod. juncto §. 1. Instit. Dicitur autem Reciproca, quia verò reciproce libi invicem substituitur plures hæredes; Breviloqua autem, quia brevis fit verbis, juxta Glossam in l. Lucius. ff. de Vulg. §. Non ad matrem.

594 Resp. II. Ad hæc Substitutionem non requiritur certa verborum formula, præterque variis fieri modis, dummodò reciproca institutio sufficienter percipiatur: sic v. g. erit Substitutio hujusmodi; Petrum, & Paulum instituo pro hæredibus, eosque sibi invicem substituo, arg. l. Lucius. ff. de Vulg. Quæ Substitutio specialibus verbis expressa dicitur à Covarruvia lo. cit. §. 7. n. 2. Item, si dico: Titium, & Cajum instituo, & Titio substituo Sempronium, Sempronio autem Titium, arg. cit. l. Jam hoc jure. Quæ substitutio singularibus verbis facta dicenda est juxta citatum Covarruviam. Potest etiam fieri generalibus, ac implicitis verbis: v. g. Sejus, & Cajus utrove eorum vivet, hæres mihi esto, prout in his terminis adducitur, l. Titius. 24. ff. de Hæred. instit.

595 Resp. III. Effectus, & vis hujus Substitutionis maxime in hoc consistit, quod sub diversitate substitutorum, & modi substituenti, diversas alias Substitutiones continet, eârumque effectus participet, Covarruvias lo. cit. n. 3. asserens, id omnium consensu receptum esse. Et inde communiter tenent DD. eam ab aliis non propriè, sed tantum in modo concipiendi distingui. Hinc fit circa duos hæredes extraneos, continet duas Vulgares. Deinde continere potest duas Pupillares, quando nempe duo impuberes invicem substituantur. Potest etiam duas Fideicommissarias continere, si verbis obliquis Substitutio reciproca fit. Vide de his Covarruviam lo. cit. Schneidew. lo. cit. §. de Reciproca substit. Menoch. lib. 4. Præsumpt. 60. Hunn. p. 4. Tit. 20. cap. 1. Bartolum & DD. in l. Lucius. ff. de Vulg.

596 Resp. IV. Substitutio reciproca exspirat eo modo, quo qualibet species Substitutionis in ea contenta extinguitur. Covarruvias lo. cit. n. 5. citans Bartolum in l. Lucius. ff. de Vulg. Jalon, & Zalius. Ratio patet, quia hoc ipso, quod hæc Substitutio à parte rei non differat ab aliis, quas continet, utique eodem cum eis modo exspirare debet.

597 Quæritur X. Quid sit Substitutio compendiosa? Resp. esse illam, quæ verborum compendio plures sub se continet Substitutiones, secundum diversa tempora, & ætatem, pupillarem nempe, & pubertatis: prout fit in sequenti Substitutione, quâ Testator dicit: Filium meum hæredem instituo, eique, quandoque decesserit, Cajum substituo. Hæc quidem Substitutio erit Vulgaris, si filius ante patrem Testatorem decedat; si verò mortuo patre supervivat, & hæreditatem repudiet, vel adeat quidem, tamen ante annos pubertatis moriatur, erit pupillaris, V u laris,

laris, ita, ut vi illius non tantum bona paterna, sed etiam ipsius impuberis defuncti capiat substitutus. Si post pubertatem moritur, erit rursus vulgaris, vel fideicommissaria, si verbis obliquis facta est. Si filius incidit in furorem vel amentiam, erit Exemplaris. Covarruvias de Testam. cap. 16. §. 9. Schneidevvin. loc. cit. §. de Compendiosa. Bartolus in l. Centurio. 15. de Vulg. Hunn. lo. cit. Tit. 21. Menochius lib. 4. Præsumpt. 51. & alii cum Glossa in c. Raynuius. 16. h. r. §. Si absque liberis. Differt autem à Reciproca, quod hæc inter plures sibi invicem substitutos fiat; Compendiosa verò, dum unus vel plures sine reciproca Substitutione substituantur. Schneidevvin. loc. cit. Effectus hujus Substitutionis est idem cum effectu illius Substitutionis, quam juxta diversitatem temporis representat: unde & eodem cum illa modo exiungitur ob rationem num. præced. de Reciproca allegatam. Plura de hac Substitutione vide apud Legistas præsertim Bartolum in cit. l. Centurio. 15. ff. de Vulg. Schneidevvin. & Hunn. lo. cit. item apud Covarruviam lo. cit. Præcipue etiam apud Menochium lib. 4. Præsumpt. 51. & seqq.

Explicitis speciebus Substitutionis directæ, examinare restat Substitutionem indirectam, seu Fideicommissariam. Quia verò speciales de eadem difficultates, & amplior materia se offert, specialem sequentem de eadem Paragraphum instituire placeat.

§. XIX.

De Substitutione indirecta, seu Fideicommissaria: Et de Fideicommissis.

S U M M A R I U M.

- 598 Substitutio Fideicommissaria quid?
- 599 Potest in & extra Testamentum fieri,
- 600 Conditionatè, vel absolutè.
- 601 Inducit veram obligationem.
- 602 Restituendi hæreditatem totam, vel partem ejus, prout mandat, vel rogat Testator.
- 603 Potest fieri non tantum indirectis verbis, sed etiam communibus.
- 604 Fideicommissum, Fideicommissarius, Fideicommissarius hæres, & Fiduciarius hæres quid?
- 605 Fideicommissum aliud universale, aliud particulare.
- 606 Aliud absolutum, aliud conditionatum.
- 607 Fideicommissio gravare regulariter potest quisvis.
- 608 Quemvis, cui vel ab intestato,
- 609 Vel in Testamento hæreditas, aut legatum, vel Fideicommissum relinquatur.
- 610 Fideicommissum fieri potest pro libitu Testatoris. Quandonam vocetur, & si Primogenitura, vel Majoratus? Ibid.
- 611 Fideicommissarius hæres tenetur omnia juxta dispositionem Testatoris restituere.
- 612 Exceptis fructibus post aditam hæreditatem collectis.
- 613 Potest eriam cogi, ut hæreditatem adeat, eamque Fideicommissario restituat.
- 614 Fideicommissum regulariter vendi nequit.
- 615 Limitatur in 6. castibus, usque ad n. 621.
- 621 Fideicommissum purum, non item conditionatum transmittitur ad hæredes Fideicommissarii.
- 622 Si liberi Fideicommissio universali gravantur, semper subintelligitur conditio, si absque liberis discedant.

- 623 Non discedit absque liberis, qui unicam prolem sive masculam, sive femellam habet.
- 624 Si Proles Fideicommissio gravata sub conditione: Si sine liberis discedat, ingreditur Monasterium, devolvitur hæreditas ad Monasterium.
- 625 Nisi de contraria voluntate Testatoris aliunde constet.
- 626 Vel hæres iniquo animo fraudandi Substitutum hæreditatem, invaret Monasterium.
- 627 Vel si substituta esset causa pia.
- 628 Fideicommissum quandonam expiraret?

Uteritur I. Quid sit Substitutio Fideicommissaria? & quomodo faciendâ? Resp. I. Est Substitutio indirecta, quâ hæres ex Testamento, vel ab intestato succedens, vel absolutè, vel sub conditione gravatur, seu obligatur hæreditatem totam, vel certam aliquam partem ejusdem, mediam v. g. vel tertiam, vel certam rem alteri restituere. Ita Molina Disp. 162. n. 12. Estque in re communis arg. §. 1. & 2. Instit. de Fideicommiss. hered. Dicitur autem substitutio loco generis, in quo convenit cum aliis substitutionibus. Dicitur indirecta, per quam particulam jam à reliquis Substitutionibus, & quidem principaliter in hoc differt, quòd substitutus directè, immediatè, ac proprio jure, sine ministerio alterius capiat hæreditatem. Substitutus autem indirectè, eandem non nisi immediatè, mediante nempe alio, hæredè scilicet, hæreditatem capere possit: adeò, ut si hæres directè institutus hæreditatem non adeat, regulariter evanescit Fideicommissum, quamvis substitutus Fideicommissarius monere, imò etiam cogere possit hæredem institutum, ut hæreditatem adeat, excepto casu, quo causa pia facta est substituta; illa enim capit Fideicommissum, est hæreditas ab alio non adatur, ut plurimis citatis notat Tiraquell. Privileg. causæ piæ. 32. & 66. Porro evanescit Fideicommissaria Substitutio, si hæres directè institutus, & Fideicommissio gravatus moritur ante Testatorem; ob rationem jam dictam, quia nempe Fideicommissarius non nisi ab hæredè ad id gravato Fideicommissum accipere potest.

Dicitur ex Testamento, vel ab intestato succedens, 599 ad denotandum, non tantum hæredem institutum in Testamento, sed etiam hæredem ab intestato per Codicillum gravari posse Fideicommissio, sive Substitutione Fideicommissaria, prout habet Communis textu claro §. Inprimis. 2. & §. Præterea 10. Instit. de Fideicommiss. hered. ibi: Præterea intestatus quoque moriturus potest rogare eum, ad quem bona sua, vel legitimo jure, vel honorario pertinere intelligit, ut hæreditatem suam, partemve ejus, aut rem aliquam (veluti fundum, hominem, pecuniam) alicui restituat. Concordat §. 2. Instit. de Codicill. ibi: Non per Fideicommissum hæreditas Codicillis jure relinquatur.

Dicitur absolutè vel conditionatè gravatur; quia utroque modo fieri potest Substitutio Fideicommissaria, §. 2. Instit. de Fideicommiss. hered. ibi: Liberum est, vel purè, vel sub conditione relinquere Fideicommissum, vel ex certo die. Absolutè fit, quando Testator absque omni conditione appositâ dicit, v. g. Titium hæredem instituo, eimque rogo, vel mando eidem, ut totam vel mediam hæreditatem restituat Cajo. Conditionatè fit, si honesta conditio apponitur, v. g. Titium hæredem instituo, voloque, ut, si liberus non acquirat, post mortem illius hæreditas restituatur Cajo.

Dicitur ulterius, gravatur, & obligatur: ad de-601 notandum, quòd quamvis antiquo jure in libertate illius, qui Fideicommissio gravabatur, positum fuerit, an Fideicommissum præstare velit, nec ne, arg. §. 1.

§. 1. Instit. de Fideicommiss. hered. ibi: Sciendum est, primis temporibus omnia Fideicommissa infirma fuisse; quia nemo inivis cogebatur præstare id, de quo rogatus fuerat: hodierno autem Jure Fideicommissa veram obligationem inducunt, ut habet unanimis cit. §. 1. Instit. sic. quod procedit non tantum, quando verè ita fide vel manifestat Testator, aut ita mandat, dicendo v. g. Titium hæredem instituo, voloque, vel mando, ut tertiam partem ejus statim restituat Cajo; sed etiam si solummodo rogando, vel deprecando id facit, v. g. Titium hæredem instituo, eamque rogo, ut mediam ejus partem Cajo restituat. Communis. Textus habetur in §. 2. Instit. de Fideicommiss. hered. ubi similis Fideicommissio formata præscribitur illis verbis: Cum igitur scripserit aliquis: Lucius Titius hæres esto: potest adjicere; rogo te Luci Titi, ut, cum primam poteris, hæreditatem meam adire, eam Cajo, Sejo reddas, restituas.

602 Dicitur, hæreditatem totam, vel certam aliquam partem ejusdem, v. g. mediam, quia non tantum tota hæreditas, sed & pars ejusdem fideicommissi potest, textu claro cit. §. 2. Instit. eod. ibi: Potest autem quisque, & de parte restituenda hæredem rogare. Imò etiam certa aliqua res, textu expresso §. 10. Instit. eod. ibi: Præterea potest rogare, ut rem aliquam (v. g. fundum, hominem, pecuniam) alicui restituat: hinc additur ad finem, vel certam rem alteri restituere.

603 Resp. II. Quamvis Substitutio Fideicommissaria ordinariè fiat indirectè & obliquis verbis, quibus hæres rogatur, aut jubetur hæreditatem totam, vel partem ejus alteri restituere; nihil minus potest, & solet hæc Substitutio etiam aliis non obliquis, præsertim verò communibus, & ad utrumque sensum tam directum nempe, quam obliquum accommodabilibus verbis fieri: quia verba sunt: hæreditas deveniat, pertineat, eam habeat &c. dummodo Testator manifestet, & disponat, ut hæreditas illius post mortem hæredis instituti veniat ad designatos, ut proin non tantum sequens, aut similis dispositio: Titium hæredem instituo, eamque rogo, vel jubeo, ut hæreditatem totam, vel tertiam partem restituat Cajo, sit Substitutio Fideicommissaria, ipsique hæreditas verum Fideicommissum; sed etiam sequens, quâ ita disponit: Titium hæredem instituo, voloque, ut post mortem ejus hæreditas mea ad Cajum perveniat; vel, ita tamen, ut post mortem illius hæreditas mea ad Cajum pertineat: vel Titium hæredem instituo, voloque, ut hæreditas mea, vel hoc aut illud Castrum post mortem illius maneat apud natu majorem à Titio descendentem, deficiente verò sexu masculino, hæredes sint etiam feminae à dicto Titio descendentes. Bartolus l. Quoties. n. 3. ff. de Hæred. instit. Mantica de Consect. Ult. vol. lib. 8. tit. 1. n. 31. Carpz. p. 3. consil. 7. def. 18. Ratio est; quòd ei si nec terminus Fideicommissum in tali Substitutione appareat, nec verbis obliquis Fideicommissum exprimitur, tamen pro Fideicommissio hæreditas, vel relictum aliud censendum fit, si ita fuisse voluntatem Testatoris ex conjecturis desumi potest; uti bonus textus est in l. Unum ex familia. 67. §. penult. & ult. ff. de Legat. 2. & l. Cum pater. 77. §. Cum imperfecta. 22. ff. eod. Talis autem conjectura vel maxime est, si Testator disponit, ut post mortem hæredis, hæreditas ad certos alios deveniat; ergo.

604 Queritur II. Quid, & quotuplex sit Fideicommissum? Resp. I. Fideicommissum nil aliud est, quam ipsa hæreditas, ut pars illius, quam vi dispositionis ultimæ, Testamenti nempe, vel Codicilli alteri restituere rogatur, aut jubetur hæres; sive quòd vi dictæ dispositionis ultimæ post mortem hæredis, ad alios à Testatore designatos, necessario per Reiffensuel Jus Can. Tom. III.

veniat, vel pertineat. Molina Disp. 182. cum Communi aliorum, arg. tot. Tit. C. de Fideicommiss. & Instit. de Fideicommiss. hered. Ubi etiam notandum, quòd hæres, qui jubetur, vel rogatur restituere hæreditatem, vel partem ejus, vocetur hæres Fiduciarius, item hæres gravatus, l. Sejus. 46. ff. ad S. C. Trebellian. item hæres Fideicommissarius. Ille verò, cui restituere debet Fideicommissarius simpliciter, §. Sed quia. 7. Instit. de Fideicommiss. hered. proprie enim non est hæres, etiam si cum effectu quodammodo sit hæres, & loco hæredis habeatur, §. 3. Instit. de Fideicommiss. hered. Molina lo. cit. cum Communi.

Resp. II. Fideicommissum principaliter dividitur 605 primò in universale, & particulare. Universale est, quando tota hæreditas, vel certa quovia ejus debet alteri restitui, Instit. de Fideicommiss. hered. Particulare est, quando res aliqua in singulari restitui debet, Instit. de singulis rebus per Fideicommiss. Harprecht, Schneidevvin. lib. 2. Tit. 23. de Fideicommiss. n. 7. Piching h. r. n. 72. & Communis aliorum. In Præsentì præcipue est sermo de Universalì: de Particulari enim in sequenti erit sermo, agendo de Legatis; nam per omnia exæquata sunt Legata Fideicommissis particularibus. L. 1. ff. de Legat. 1.

Secundò dividitur in purum seu absolutum, & 606 in Conditionale. Purum est, quod fit non tantum sine ulla conditione appositâ, sed etiam absque omni dilatione, ita, ut statim post mortem Testatoris ab hæredè restitui debeat substituto Fideicommissario. Tufchus Litt. F. §. Fideicommissum. concl. 246. n. 1. Bartolus in l. Si quis servum, in fine, ff. de Condit. & Demonstrat. cum Communi, arg. §. 2. Instit. de Fideicommiss. hered. Talis est, si Testator dicit: Titium hæredem instituo, voloque, ut eam restituat Cajo. Conditionale est, quod vel sub certa aliqua conditione, vel in eventum mortis hæredis alteri restitui debet. Tufchus loc. cit. n. 4. Alexander Consil. 14. lib. 1. & alii. Talis est, si dicit Testator: Filium hæredem instituo, & volo, ut post mortem ejus, hæreditas mea deveniat ad Cajum: item, si dicit, Cajum hæredem instituo, eique, si absque filio decedat, substituo Titium. Notat tamen Tufchus lo. cit. cum Communi aliorum, Fideicommissum Conditionale, eveniente sui purificatè conditione evadere purum, arg. l. Cedere diem 213. ff. de V. S. & L. 1. ac 4. ff. Quando dies legat.

Queritur III. Quis, & quomodò potest 607 sit Fideicommissio præsertim Universalì gravare? Resp. I. Omnes illi Substitutionem Fideicommissariam facere, seu Fideicommissio aliquem gravare possunt, qui jus habent testandi. Hunn. p. 4. tit. 24. cap. 2. n. 15. Peregrin. tract. de Fideicommiss. & communis aliorum, arg. l. 1. ff. ad S. C. Trebell. Ratio est; quia in materia communiter non prohibita concessum intelligitur, quòd expressè non prohibetur, juxta sæpè dicta.

Resp. II. Omnes, & soli illi, quibus ab intestato 608 to relinquatur hæreditas, vel qui in Testamento, aut Codicillo honorati sunt, id est, quibus vel hæreditas, vel legatum, vel fideicommissum per ultimam voluntatem relictum est, Fideicommissio gravari possunt. Prima pars patet ex dictis n. 599. nec non ex l. Consciuntur 8. ff. de Jure Codicillor. Nec obstat §. 2. Instit. de Fideicommiss. hered. ubi dicitur, ad Fideicommissum opus esse, ut prius quis hæres in Testamento instituat. Respondetur enim distinguendo: Opus esse, si in Testamento Fideicommissum relinquatur, conceditur: si extra Testamentum, negatur.

Secunda pars, quòd omnes honorati per ultimam 609 voluntatem Testatoris gravari possint, patet ex L. 9. C. de Fideicommissis. nec non ex L. 1. §. 6. ff. de Legat. 3. ibi: Sciendum est autem, eorum fideicommissi quem

quem posse, ad quos aliquid perventurum est, morte ejus, vel dum eis datur, vel dum non admittit. Item docet cum Hunn. lo. cit. Richard. ad cit. L. 9. C. eod. & Communis aliorum. Ratio est; quia juxta Reg. 55. Jur. in 6. Qui sentit commodum, sentire debet & onus à Testatore impositum, consistens in dando, vel faciundo aliquo juxta dispositionem Testatoris. Dummodò sit proportionatum gravamen, & non plus gravetur, quam accepit heres, Richard. lo. cit. n. 3. Peregrin. de Fideicommissis. art. 12. n. 24. Quòd verò soli in hoc, & præced. n. allegati Fideicommissio gravari valeant, tenet præter citatos Parisius Consil. 18. n. 11. volum. 2. & Communis aliorum. Textus est in l. Sed etsi. 6. §. 1. ff. de Legat. 3. ubi etiam ratio redditur, videlicet, recipiendum non esse, ut cui nil dederis, eum rogando obliges.

610 Resp. III. Substitutio Fideicommissaria, & Fideicommissum pro libitu Testatoris fieri potest, videlicet vel absolute, vel conditionate, §. 2. Instit. de Fideicommissis. hered. Item potest unum, vel plures substituere, eosque vel simul, vel successivè successuros. Et quidem, si substituit heredes plures alios, vel totam familiam, ita tamen, ut semper unus solus, & quidem primogenitus succedat, vocatur Primogenitura, quæ aliud non est, quam Fideicommissum individuum in una tantum persona, eoque primogenita deferendum, excludens consursum simultaneum aliorum, uti cum aliis bene docet Cardinal. Luca de Fideicommissis, discurs. 6. n. 6. ubi etiam contendit, idem esse Majoratum, adeo ut Majoratus, & Primogenitura sint synonyma ad exemplum Majoratus, & Primogenituræ in Feudis Imperii.

611 Queritur IV. Qui sint effectus Fideicommissi? Resp. Elle varios, præcipue verò sequentes. I. Obligat, & facit, ut juxta tenorem dispositionis Fideicommissariae hereditas, vel pars illius restituatur Fideicommissariis à Testatore substitutis seu fideicommittente designatis. Omnes. Toro Tit. Instit. de Fideicommissis. hered. & C. de Fideicommissis. Et quidem si est Fideicommissum ita universale, ut rogetur, seu jubetur heres Fideicommissarius restituere totam hereditatem: vel si disponit ipse Testator, ut tota hereditas post mortem heredi obveniat certis à se designatis; tunc restitui debent omnia tam mobilia, quam immobilia in hereditate reperta, sive quæcunque heres titulo heredis acquisivit, uti pro Regula tradunt Menochius lib. 4. Præsumpt. 197. n. 2. Mantica de Conject. Ultim. Vol. lib. 7. nu. 10. & tit. 8. n. 1. Hunn. p. 4. Tit. 24. cap. 4. II. Item pretium, quod ex venditione rerum Fideicommissio subiectarum comparatur est, Hunn. lo. cit. n. 9. Peregrinus lo. cit. art. 10. n. 30. III. Credita per heredem gravatum exacta, Mantica de Conject. Ult. Vol. lib. 7. tit. 6. n. 2. Item res pecuniæ hereditariæ comparatæ, quæ cuncta patent ex Tit. C. de Fideicommissis, & Instit. de Fideicommissis. hered. & de singulis rebus per Fideicommissi. relict. Vide de hoc Menochium lib. 4. Præsumpt. 197.

612 Fructus tamen, & redditus ex Fideicommissio post aditam jam hereditatem ab herede collecti restituendi non sunt, Menochius de Arbitrar. Jud. 256. n. 8. Peregrinus de Fideicommissis. art. 6. n. 39. textu claro l. In Fideicommissaria, 18. & l. Postulant. 44. §. 1. ff. ad S. C. Trebellian. Ratio est; quia adeundo hereditatem heres fit dominus hereditatis; consequenter ex ea tanquam sua fructus pro se percipere potest, arg. L. 1. §. Veteres. ff. de Acquir. possess. & ibi Jason n. 14. Aliud est de fructibus ante hereditatem à Testatore jam collectis, Menochius cit. Præsumpt. 197. n. 2. Notandum tamen, quòd heres gravatus detrahere possit Trebellianicam juxta dicta supra n. 473.

613 Secundus principalis effectus Fideicommissi est,

quòd vi illius heres gravatus cogi possit, ut hereditatem adeat, eamque juxta dispositionem Testatoris Fideicommissario restituat, casu quo eadem adire nollet. Pirhing h. t. n. 72. Molina Disp. 186. n. 2. Gomez tom. 1. Variar. Resolut. cap. 5. n. 13. & Communis aliorum textu claro §. Ergo. 6. in medio. Instit. de Fideicommissis. hered. l. Recursore. 6. l. Nam quod. 14. §. qui Compulsus. 4. ff. ad S. C. Trebellian. ubi insuper statuitur, quòd si quis cogi debeat ad hereditatem adendum, hoc ipso amittat quartam trebellianicam, estis poeniteat, quòd liberè non adierit: ibi: Qui compulsus adit hereditatem, sicut cæteris commodis caret, ita hoc quoque casu caret, ne possit petendo quartam retinere. Verum, quando ita cogitur hereditatem adire, eamque totam restituere Fideicommissario, transeunt etiam ad Fideicommissarium una cum hereditate omnes actiones contra heredem, & cætera hereditatis incommoda, ita ut commodum cum incommodo accipere debeat, nullo nec damno, nec incommodo apud heredem remanente, ut dicitur §. Sed 7. ad finem. Instit. de Fideicommissis. hered.

614 Tertius effectus Fideicommissi est, quòd regulariter loquendo, per heredem alienari, aut pignori vel hypothece subijci non possit; si est Fideicommissum purum, vel ad certum diem textu claro L. fin. §. Sed quia. 2. C. Communia de Legat. ibi: Nemo itaque heres ea, quæ purè, sub certa die relicta sunt, vel quæ restitui aliis disposita sunt, vel substitutioni supposita, putet imposterum alienanda, vel pignoris, vel hypothece titulo assignanda; Ratio ibidem statim subjungitur illis verbis: Quia satis absurdum est, & irrationabile, rem quam in suis bonis purè non possidet, eam ad alios posse transferre, vel hypothece pignorisque nomine obligare, vel alienam spem dignari.

Dicitur autem notanter, regulariter loquendo, item, si est Fideicommissum purum, vel ad certum diem: quia limitatur effectus iste I. Si est conditionatum; valet enim ejus alienatio usque ad mortem gravati heredis, seu jus modicum ejus durat, & donec conditio eveniat; illa tamen eveniente, illico evanescit; potestque substitutus Fideicommissum statim vindicare, Tufchus Litt. F. Concl. 283. n. 43. Jason in l. Filius. §. Divi. ff. de Legat. 1. n. 83. & communis aliorum, textu claro cit. L. fin. C. Communia de Legat. §. Sed quia.

615 Limitatur II. Si sit alienatio pro solutione debitorum Testatoris. Tufchus Litt. C. Concl. 283. n. 16. Glossa in l. Filius familias. §. Divi. ff. de Legat. 1. & ibidem cum Bart. & aliis Jason in Lectura 1. n. 11. & Lectura 2. n. 4. Ratio est; quia Lex prohibere alienationem cum præjudicio creditorum non intendit, arg. l. Creditoris arbitrio. ff. de distract. Pignorum. Intellegitur tamen hanc limitationem in sano sensu, ita ut mobilia non distraherentur, si pecunia vel alia mobilia ad solvendum sufficientia adsint. Cardinal. de Luca de Fideicommissis. discurs. 161. n. 5. & 8. & magis in Summa n. 305. & 306. item discurs. 162. n. 8.

617 Limitatur III. Si est necessaria distractio pro detractione competentis Legitime, & Trebellianicæ. Tufchus lo. cit. n. 22. & seqq. Baldus lib. 4. Consil. 163. n. 4. Parisius lib. 2. Consil. 17. & 18. & Communis aliorum. Ratio est; quia detractione præfata heredi de jure debetur, consequenter si non aliunde, quam vendendo haberi potest, vendi debet. Limitatur IV. In rebus, quæ servando servari non possunt, Fufar. q. 73. n. 4. Cardinal. de Luca discurs. 99. n. 9. cum communi, & certâ: dummodò pretium inde comparatum postea restituatur substitutis juxta dicta n. 611.

618 Limitatur V. Si est alienatio necessaria pro competentis dote, Authen. Res, quæ. C. Commun. de Legat. Tufchus Litt. F. Concl. 284. n. 1. citans Communem: vel pro alimentis heredis gravati, & suorum descen-

descendentium. Cardinal. de Luca de Fideicommissis. discurs. 170. & 171. Tufchus loc. cit. vel pro liberatione possessoris ab hostibus, vel latronibus. Cardinal. de Luca de Fideicommissis. in Summa n. 294. & Communis aliorum.

619 Limitatur VI. Si distractio est utilis, uti fit in casu permutationis Fideicommissi pro bono utiliori, ipsi gravato, ac ulterius substitutis, Card. de Luca discurs. 157. n. 7. & 8. Tufchus loc. cit. Concl. 283. num. 84. Ratio est, quia in tali casu, & Testatoris, & aliorum tacitus præsumitur adesse consensus; cum nulli fiat injuria, nec damnum, sed commodum.

620 Limitatur VII. Si omnes substituti, in quorum Favorem Fideicommissum factum est, ad alienationem consentiant. Tufchus loc. cit. n. 41. dicens ita sentire omnes; & merito ob textum clarum, l. Quoties. 11. C. de Fideicommissis. ibi: Quoties ab omnibus, qui alienatione factâ ad Fideicommissum petitione adspirare possunt, venditio celebretur, aut quibusdam vendentibus alii consenserint, contractus authoritas convelli nequaquam potest. Plures limitationes vide apud Tufchum loc. cit.

621 Quartus effectus est, quòd Fideicommissum purum transmittatur ad heredes Fideicommissarii (nisi alii sint substituti) est hic ante heredem gravatum, vel aditam ab ipso hereditatem moritur. Tufchus Litt. F. Concl. 228. Hunn. p. 4. tit. 24. cap. 5. n. 1. Gallus lib. 2. observ. 121. in prin. arg. l. Postulante. in prin. ff. ad S. C. Trebell. l. Cogi. §. Idem Merianus ff. eod. & L. 3. C. de Fideicommissis. Secus est in Fideicommissio conditionali, hoc enim, si Fideicommissarius ante heredem gravatum, vel conditionem adimpletam moritur, ad heredes Fideicommissarii non transmittitur. Doctores citati cum Communis aliorum, arg. L. un. §. 7. de Caducis. l. Quom.

622 Queritur V. Quomodo interpretanda sint Fideicommissa, quibus parens liberis gravat; præsertim additâ conditione; si sine liberis descendant? Resp. I. Si pater filium heredem institutum gravat Fideicommissio universali, semper tacita subintelligitur conditio, nisi eisdem liberi nascantur, ita ut quævis proles præferatur extraneo substituto, l. Cum avus. 102. ff. de Condit. & Demons. l. Cum acutissimi. 30. C. de Fideicommissis. ibi: Si quis filium suum heredem instituit, & restitutionis post mortem oneri subegit, non aliter hoc videri disposuisse, nisi cum filius ejus sine sobole vitam suam reliquerit. Ubi etiam ratio subjungitur, videlicet, quia merito præsumitur hereditatem suam potius propriis descendentibus, quam alienis relinquere voluisse.

623 Resp. II. Quando filius heres sub dictâ conditione tacitâ, vel exprellâ; si sine liberis decesserit, gravatur Fideicommissio universali, deficit Fideicommissum, si unica proles gravati sine mascula, sive femella tempore mortis Testatoris existat, estis postea statim decedat. Tufchus Litt. F. Concl. 255. Baldus Consil. 386. lib. 3. Ancharanus Consil. 396. & Communis aliorum, arg. l. Cum acutissimi. 30. C. de Fideicommissis. Ratio est; quia liberorum appellatio veniunt etiam femellæ: & qui vel unicam prolem post suam mortem relinquunt, non dicitur sine liberis decessisse. L. 148. de V. S. ibi: Non est sine liberis, cui vel unus filius, unaque filia est: hæc enim enuntiatio, habet liberos, non habet liberis, semper pluralivo numero profertur. Quòd si verò filius heres gravatus liberis quidem genuit, si tamen ante ipsum adhuc sunt mortui, Fideicommissum procedit, & devolvitur ad Fideicommissarium à Testatore designatum. Tufchus loc. cit. Concl. 254. Ruin. lib. 2. Consil. 7. n. 5. & Communis aliorum, arg. cit. L. 30. C. eod. Ratio est; quia purificatio conditio, & verum est, quòd sine liberis decedat; estis prius aliquos habuerit.

Resp. III. Si Filius sub præfata conditione, Fideicommissio universali gravatus ingreditur Monasterium, bonorum capax, ibique proficitur, excluditur substitutus, & succedit Monasterium. Covarruvias lib. 1. Variar. Resolut. cap. 19. Layman lib. 3. tract. 5. cap. 9. Pirhing h. t. n. 74. & Communis aliorum, Authen. Nisi rogari. C. ad S. C. Trebellian. & l. Præsentia. 8. de Probat. ubi simili casu propositio, pro Monasterio judicatum est. Ratio desumitur ex præsumpta voluntate Testatoris, qui, si de Monasterio, in quo filius proficitur, cogitasset, illud præ alio extraneo amaturum, & in favorem ejus dispositurum fuisse, merito præsumitur.

625 Limitatur autem Conclusio in casu, quo de Testatoris contraria voluntate constat, ut si dicit, ut potest: Si filius Monasterium ingreditur, aut Clericus fiat &c. obveniat hereditas Titio &c. Covarruvias lo. cit. Layman loc. cit. Molina Disp. 109. §. Hæc verò Sanchez lib. 7. Moral. cap. 16. n. 12. Pirhing h. t. n. 76. Ratio patet; quia præsumptio cessat, ubi verumur in claris. Barboza de Axiomat. Jur. §. Præsumptio. n. 5. Idem dic, si eadem Testatoris voluntas aliunde potest colligi, prout contingit in Primogenituris, ac Majoratibus, qui ad conservandum splendorem Familiae eriguntur: in his enim excluso Monasterio succedere proximum agnatum, communiter sentitur DD. ut videre est apud Layman loc. cit. Sanchez lib. 7. cap. 15. n. 19. Azorium tom. 1. lib. 12. cap. 8. q. 5. Covarruvias loc. cit. Molinam Disp. 622. Ratio est; quia nec Monasterium, nec Religiosus filius pro conservanda Familia servit, consequenter à Fideicommissio exclusi intelliguntur.

626 Limitatur secundò, in casu, quo heres iniquo animo fraudandâ substitutum Fideicommissio, intrat Religionem; Menochius lib. 4. Præsumpt. 83. n. 76. Sanchez lib. 7. cap. 16. n. 54. & 55. Pirhing h. t. n. 76. Abbas in c. In præsentia. 8. de Probat. n. 46. Ratio est; quia fraus & dolus nulli patrocinari debet, juxta vulgaria. Præsumitur autem is in fraudem, vel odium substituti Religionem intrare, si prius inatrat substituto, se in illius odium Religionem ingressurum, Menochius lo. cit. n. 83. Pirhing lo. cit. Abbas lo. cit. & alii. Limitatur tertio, si heres filius ingreditur Monasterium bonorum incapax: Cujusmodi sunt Monasteria Franciscanorum, ac Capuciorum; tunc enim filio Religionem proficiente, substitutus illic succedit in Fideicommissio. Omnes. Ratio est; quia in tali casu filius habetur loco mortui, Sanchez lo. cit. n. 13. & 16.

627 Limitatur quarto in casu, quo substituitur alia causa pia, v. g. dicendo: Si filius, vel alius heres meus sine liberis obierit, substituo pauperes, vel volo, ut hereditas erogetur in pauperes, aut pro edificando Nofocomio, Hospitali &c. Abbas loc. cit. nu. 36. Pirhing loc. cit. n. 76. Glossa in cit. c. In præsentia. 8. de Probat. cum Communis. Ratio est; quia si privilegiatus concurrit cum privilegiato, tunc privilegius non attentis servandum Jus Commune; consequenter, si herede Religiosum ingrediente liberis eidem non nascantur, hereditas juxta conditionatam substitutionem restituenda erit pie cause substitutæ, arg. c. Cum causam de Præbend.

628 Queritur VI. Quandonam expiret Fideicommissum? Resp. Expirare potissimum in sequentibus casibus. I. Si heres gravatus moritur ante Testatorem, juxta dicta num. 598. II. Si moritur ante aditam hereditatem L. 13. §. 3. ad finem. ff. ad S. C. Trebellian. nisi forsitan de alienda hereditate mandatum jam acceperit à Judice, post hoc enim si moritur, Fideicommissum non expirat, estis ante aditam hereditatem moriatur. L. Non justum. 4. C. eod. Pariter non expirat ob non aditam hereditatem, si heres gravatus hereditatem transmittit ad heredes, uti bene

benè observat Bartolus in cit. L. 13. ff. ad S. C. Trebellian. III. Exspirat, si purificatur conditio in Fideicommissio Conditionalis: v. g. si Testator dicit: Filium meum hæredem instituo, voldeque, ut si absque liberis decedat, hæreditas obveniat Cajo: exspirat, si filius relicto uno, vel pluribus liberis decedat. Ratio est; quia actus sub conditione non valet, nisi existente conditione. Per vulgaria.

§. XX.

De Legatis, & Fideicommissis particularibus.

SUMMARIUM.

- 629 Legatum, & Fideicommissum particulare sunt idem.
- 630 Legatum sumitur vel pro ipso actu legandi; vel pro re ipsa legata.
- 631 Definitur Legatum sumptum pro actu legandi. Pars certa, & res certa hereditatis non sunt idem. Ibid.
- 632 Legatum sumptum pro re ipsa legata desinitur; sicut etiam Fideicommissum particulare.
- 633 Legatarius quid? Ibid.
- 634 Omnes & soli, qui testari, etiam legare possunt.
- 635 Qui incapaces sunt hereditatis, sunt etiam incapaces Legati.
- 636 Excipiuntur Fratres Minores, quibus legari potest moderata quantitas; etsi non possunt esse hæredes.
- 637 Ut tamen Legatum valeat, modo illicito fieri non debet. Et quis talis modus illicitus, vel licitus? Ibidem.
- 638 Hæres nolens præstare fratribus Legatum, potest cogi à Iudice; qui, ut officio suo fungatur, etiam à fratribus rogari, & moneri potest.
- 639 De Annuis Legatis. Remissive.
- 640 Legata in & extra Testamentum fieri possunt, oretentis, & in scriptis.
- 641 Legatum est multiplex. Aliud purum.
- 642 Aliud in diem.
- 643 Aliud conditionatum. Conditio proprie quid? Ibid.
- 644 Legatum sub conditione de futuro, quando valeat? Conditio potestativa, casualis, mixta, turpis, possibilibus, impossibilibus, honesta &c. Quid? Ibid.
- 645 Conditio, si non nubat, Legato apposita, habetur pro non adjecta.
- 646 Si Legataria nunquam adhuc fuit juncta matrimonio: secus, si est vidua.
- 647 Nec refert, an Legataria persona sit masculus, vel femella.
- 648 Valet conditio: si non nupsit Titio: vel uni ex certis determinatis.
- 649 Item valet conditio: Si Cajo, vel uni certo nupsit; vel si liberis acquisierit.
- 650 Verumtamen evanescent conditio, debetque Legatum, si Legatarius minime nubens Religionem ingreditur.
- 651 Aut sacros Ordines suscipiat.
- 652 Dummodò talis Clericus usque ad mortem in tali Clericatu maneat, & tale Legatum ad causas pias applicet.
- 653 Valet conditio aperte manifestata: si Religionem ingreditur, vel Clericatum assumit, nihil, vel minus lego.
- 654 Solvitur instantia, & ostenditur, quòd similis conditio iniqua non sit.
- 655 Pariter valet conditio: Si Religionem ingredi-

- 656 tur, vel Clericus sit, hæredem instituo, vel eidem plus lego.
- 657 Idem, quòd de Legatis dictum, de hæreditate intellige.
- 658 Legatum sub modo quid sit, & quomodò fiat?
- 659 Legatum sub causa quid?
- 660 Etsi causa non subsistat, subsistit Legatum sub causa factum.
- 661 Nisi hæres probeat, Testatorem legaturum non fuisse, si causam non subsistere scivisset, vel sit error circa substantiam personæ.
- 662 Legatum cum demonstratione quid? valet, etsi falsa sit demonstratio.
- 663 Dummodò res legata existat.
- 664 Et non sit error circa substantiam personæ, vel nisi probeat legaturum non fuisse, si errorem scivisset Testator.
- 665 Ad Legatum Testamento insertum, eadem requiruntur solemnitas, quæ ad Testamentum.
- 666 Limitatur in quatuor casibus.
- 667 Ad Legatum sine Testamento requiruntur quinque testes.
- 668 Excipiunt Legatum pium, & casus, quo hæres facitur desuncti voluntatem.
- 669 Quinque testes non necessariò rogari, benè verò simul præsentem esse debent.
- 670 Doctrina practica, quòd sæpè expediat sola Legata, & non Testamentum facere.
- 671 Quævis res propria Testatoris legari potest.
- 672 De Jure Civili etiam alienæ rei Legatum valet.
- 673 Si Testator scivit rem esse alienam: secus si ignoravit, nisi legatur personæ propinqua.
- 674 Legatarius tenetur probare, Testatorem scivisse, rem esse alienam.
- 675 Etiam de Jure Canonico valet Legatum rei alienæ.
- 676 Respondetur ad c. Filius. 5. h. t. usque ad n. 677.
- 677 Res propria Legataris legari non potest.
- 678 Debitum, quomodò creditori legare possit Testator.
- 679 Creditum debitori legando remittere potest Testator.
- 680 Legati dominium acquirunt post aditam hereditatem.
- 681 Cedere, & venire diem, quid sit? Ibid.
- 682 Fructus, qui sunt pars Legati, pertinent ad Legatarium.
- 683 De aliis fructibus controversa est inter DD. & num. seq.
- 684 Fructus Legati indeterminati, vel in genere pertinent ad hæredem, si non est in mora solvendi Legatum.
- 685 Legatum in diem, aut sub conditione non debetur ante diem, vel conditionis adventum.
- 686 Legatarius habet actionem personalem, & hypothecariam, nec non hypothecam tacitam in bonis desuncti.
- 687 Non potest propria autoritate capere Legatum.

**A**gitur hic sub una Rubrica de Legatis & Fideicommissis particularibus, eò quòd licet antiquo Jure magna fuerit diversitas inter Legatum & Fideicommissum particulare; hodie tamen inter eadem penitus nulla quoad effectum, & in re ipsa sit differentia: prout aperte constat ex L. 1. ff. de Legat. I. ibi: Per omnia, exæquata sunt Legata Fideicommissis, supple, particularibus. Concordat L. 2. C. Communia de Legatis, & §. Sed non. Instit. de Legat. ibi: Necessarium esse duximus, omnia Legata Fideicommissis exæquare, ut nulla sit inter ea differentia: sed quòd desit Legatis, per hoc crescat Fideicommissorum natura. Nulla itaque in effectu, vel re ipsa est diffe-

- differentia, sed tantum in modo, quo fiunt, & relinquuntur, & à quo quodvis suam denominationem accipit. Nam Legata fiunt verbis immediate ad Legatarium directis; ut dum dicitur v. g. Titio lego meam domum, vel centum aureos. Fideicommissum particulare verò verbis respectu Fideicommissarii indirectis, & obliquis, utpote non immediate ad ipsum, sed ad alium, hæredem præcipuè directis, qui rogatur, vel jubetur, ut rem aliquam certam alteri restituat, v. g. Jubeo, vel rogo Cajum hæredem meum, ut hanc meam domum, vel centum aureos Titio det, & restituat. Hinc, quia utrumque in re planè convenit, quicquid de Legatis dicitur, de Fideicommissis particularibus (id est, illis, quo aliquo determinatum in specie verbis obliquis alicui relinquitur) dictum volumus.
- 630 Queritur L. Quid sit Legatum? à quo, & cui fieri possit? Notandum prius, Legatum dupliciter accipi ac defini posse, videlicet, vel pro actu, aut dispositione, quò res aliqua legatur; vel pro ipsa re, quæ legatur. In præsentem sequentes praxin Doctorem, definimus Legatum prout sumitur pro ipso actu, quo quis rem aliquam alteri legat, seu relinquit. Ex hujus enim definitione facile patebit definitio Legati sumpti pro re ipsa Legata. Hinc
- 631 Resp. I. Licet multæ in Jure afferantur definitiones Legati, receptissima tamen est, & optima videtur, quæ s. t. Instit. de Legat. datur illis verbis: Legatum est Donatio quedam à desuncto relicta, ab hærede præstanda. Dicitur I. Donatio loco generis, in quo convenit cum aliis Donationibus tam inter vivos, quam mortis causa. Differt verò per id à Testamento, utpote quòd non est Donatio liberalis vel gratuita, sed onerosa, habens annexa onera hæredis, de quibus supra dictum est. Dicitur quedam, id est, cujusdam rei particularis, quæ hereditatis rationem non habet: quia Legata non nisi circa res particulares ac in specie, vel potius in individuo determinatas fiunt: v. g. certa domus, utensilia, certa pecuniæ quantitas, vel alia certa bona mobilia, vel immobilia. Et ideò per hanc particularem differt Legatum, & Fideicommissum particulare à Fideicommissis universalibus, utpote cui tota definitio aliàs convenit, solo excepto, quòd non fiat circa res aliquas in particulari; sed vel circa totam hereditatem, vel aliquam certam partem, v. g. circa mediam, tertiam, vel quartam hereditatis. Nec enim est idem certa ac particularis res aliqua hereditatis, ac certa pars hereditatis L. 13. C. de Hæred. Instit. quia certa pars, v. g. tertia pars hereditatis participat de quavis re certa particulari totius hereditatis. Dicitur à Desuncto relicta: quia Legata non nisi post mortem Legantis robur & firmitatem suam habent; cum usque ad mortem semper pro libitu revocari possint. L. 3. §. fin. ff. de Adim. Legat. ibi: Non solum autem Legatum, sed & Fideicommissa admi possunt; & quidem nudà voluntate. Et per hoc differt à Donationibus inter vivos, utpote, quæ statim ac fiunt, & acceptantur, inter vivos adhuc valet juxta dicta supra Tit. 24. de Donationibus. Quomodò autem differat à Donati mortis causa, dicitur infra §. 21. Dicitur tandem ab hærede præstanda: quia, quamvis Legatarius statim à die mortis acquirat dominium Legati, vel saltem certum jus ad illud, juxta dicenda n. 680. & seqq. Tamen propria autoritate absque poena Legis illud occupare non valet. L. 5. C. de Legat. sed expectare debet, donec fibi ab alio tradatur: quòd ordinariè fit ab hærede; licet etiam nonnunquam ab alio, v. g. à Legatario, vel hærede hæredis; imò & ab ipso Testatore præstari possit Legatum. L. Lucius. 22. ff. de Legat. 2. & L. Hujusmodi. 84. §. Si Titio. ff. de Legat. 1. Per quod non infirmatur

definitio, utpote quæ data est à Legislatore circa ea, quæ ut plurimum, & ordinariè fiunt: Nam quæ semel aut bis accidunt, continentur Legislatores. I. Jura. & seqq. ff. de Legibus.

Et ex his facile colligitur, quid sit, & quomodò 632 definatur Legatum acceptum pro re ipsa, quæ legatur: Est nempe res aliqua particularis, verbis ad Legatarium directis à desuncto relicta, ab hærede præstanda. Fideicommissum particulare pariter est res hujusmodi particularis verbis non ad Legatarium, sed hæredem immediate directis, à desuncto relicta, ab hærede præstanda. Ille, cui Legatum, seu res præstanda est, vocatur Legatarius, seu Fideicommissarius particularis.

Resp. II. Omnes, & soli illi legare possunt, qui jus 633 testandi habent. Est extra controversiam. Textu claro L. 2. ff. de Legat. 1. ibi: Sciendum est, eos demum Fideicommissum (adeòque etiam Legatum utpote idem cum illo, L. 1. ff. eod.) posse relinquere, qui testandi jus habent. Quoniam autem jure testandi, consequenter etiam legandi careant, vide supra §. 10.

Resp. III. Regulariter illis solis legari quid po- 634 test, qui hæredes institui possunt. Communis ac certa. Textus est in §. Legari. 24. Instit. de Legat. ibi: Legari autem illis solum potest, cum quibus Testamentum factio est. Hinc venit, quòd, licet uxor marito donationem inter vivos facere non possit, eidem tamen legare quid possit, eò, quòd eundem hæredem instituire queat. Porò quoniam hæredes institui nequeant, & per consequens Legatorum incapaces sunt, vide supra §. 13.

Dicitur notanter regulariter; quia limitatur Con- 635 clusio in Fratribus Minoribus Ord. S. Francisci; utpote quibus Legatum fieri potest, etsi hæredes instituti nullatenus possint, c. Exiit. 3. §. Ad hæc de V. S. in 6. & Clem. un. eod. dictumque jam est supra n. 403. ubi etiam notavimus, attendere debere Fratres, ne Legata in nimia quantitate recipient, ex qua fraus prælium meriti possent. Nec enim licet eis (inquit Pontifex Clem. un. §. Quia igitur de V. S.) valorem hereditatum, vel tantam earum partem, quòd præsumi possit, hoc in fraudem fieri, quasi sub modo, & forma Legati sibi dimitti facere, vel sic dimissa recipere; quin potius ista sic fieri ab eis, simpliciter prohibemus. Quoniam autem sit quantitas ex-celativa, ita ut in fraude prælium possit, Ministri, & Custodes, non item Guardiani ex præsentem vel imminenti necessitate arbitrari debent. Roderiq. 99. Reg. Tom. 2. q. 27. a. 1. Sanchez loc. cit. Sorb. in Compend. Privileg. §. Legata, & alii arg. c. Exiit. §. Insuper nec utensilia, de V. S. in 6. Qui Ministri non unius, sed plurium Conventuum necessitatem attendere possunt ac debent, ut proin licet Legatum respectu unius Conventus videatur immoderatum, tamen respectu Provinciæ, seu aliorum Conventuum sit necessarium.

Porò ut Legatum Fratris Minoribus factum 636 valeat, illudque Fratres licitè acceptare queant, necesse est, quòd factum non sit tali modo, qui Fratribus est prohibitus in Regula: qualis foret, si Testator legaret vineam, vel agrum ad excolendum, domum ad locandum, aut similia verba in similibus proferret aut modos similes in relinquendo servaret: uti dicitur c. Exiit. de V. S. in 6. ubi præcipitur, ut à tali Legato, & ejus receptione per omnem modum Fratres abstineant. Concordat Clem. Exivi. eod. §. Licet verò, ubi pariter præcipitur, quòd si legatarius ager, vel vinea ad excolendum, vel hortus, ut olea vel hortalia pretio distrahantur &c. à tali Legato abstineant Fratres, ratio additur: videlicet, quia præmissa habere, ut pretium fructuum statim temporibus habeatur, ad naturam, & formam proventuum (qui Fratribus sunt prohibiti) appropinquat.

Si verò modum licitum Fratris in legando expresserit Testator, ut si diceret: *Lego pecuniam pro Fratrum necessitatibus expendendam, vel domum, agrum, vineam, & similia, ad hoc, quòd per certam personam, vel personas idoneas adfruantur, & pecunia de rebus ipsis accepta, in aedificia, vel alia Fratrum necessaria convertantur: aut in legando similibus modis, vel verbis utatur, securè Legatum accipere possunt Fratres, in quacunque dein re, siye mobili, siye immobili consistat, prout expressè deciditur, cit. c. Exiit. de V. S. in 6.*

Pariter absque ullo scrupulo accipere possunt quodvis non excessivum Legatum, si Testator aliquid generaliter absque modi expressione legat, cit. c. Exiit. de V. S. in 6. Ratio ibidem assignatur; quia tale Legatum sub modo licito intelligitur, & præsumitur relictum, ita, quòd nec Legans merito, nec Fratres ipsi effectu relictii fraudentur.

637 Quòd si hæres Legatum Fratris licito modo relictum tradere nollit, cogi possit à Judice tam seculari, quam Ecclesiastico etiam nemine petente; ut bene docet Sanchez lib. 7. Moral. cap. 26. n. 60. & 61. Barbosa in c. Exiit. de V. S. in 6. n. 14. & alii, arg. cit. c. Exiit. ubi etiam hortatur Papa, ut *Prelati & seculares, quibus de Jure vel consuetudine provisio ista competeret, cum expedierit se ex officio suo promptos exhibent ad pias voluntates deficientium adimplendas.* Possunt etiam ipsi Fratres Judicem extrajudicialiter rogare, & monere, ut officio suo fungatur. Sanchez loc. cit. Sylvester y. Hereditas. 1. q. 7. dicit. 1. n. 10. Corduba, Roderiquez, & alii à Sanchez citati. Ratio est; quia ita monendo & rogando, nec actionem instituit, prout non possunt, arg. Clem. Exiit. §. Cupientes. de V. S. Nec quis aliquid in hujusmodi Legatum præiudicium, consequenter nullà ratione illicitè agunt. Plura de Legatis Roderiquez Ordin. Minorum vide apud Sanchez loc. cit. Roderiquez Tom. 2. q. Regul. q. 27. Sorb. y. Legata. Corduba, & Expoltores Regule. Insignem etiam tractatum de *Mortemium Elemosynis*, & legatis scripti Cyrillus Babeus Capucinus.

638 An autem, & quomodo Fratres Minores sint capaces Legatorum annuorum, præsertim perpetuorum, dicemus infra Tit. 39. de Censibus.

639 Quæritur II. Quotuplex sit, & quomodo fieri possit Legatum? Resp. I. Legata fieri possunt tam in, quam extra Testamentum: tam oretenus, quam in scriptis. Tota Conclusio communis est, ac certa. Et quidem, quòd in Testamento fieri, eisque inferi possit, abundè patet ex dictis. Quòd verò absque illo, seu sine illo fieri queat, constat ex rot. Tit. ff. de Legat. Item. Inst. & C. de Codicill. Quòd non tantum in scriptis, sed & oretenus fieri valeant, expressè dicitur c. Inducant. q. h. t. ibi: *Nudis verbis &c. & l. fin. §. 3. C. de Codicillis*, ibi: *Sive in scriptis, siye sine scriptis faciatur voluntas.*

640 Resp. II. Possunt Legata, vel purè, vel in diem, vel sub conditione, vel sub modo, item vel sub demonstratione, vel sub causa fieri. Et hinc alia sunt, & dicuntur Legata pura; alia in diem; alia conditionata seu sub conditione, alia sub modo; alia sub causa; alia sub demonstratione. Molina Disp. 205. n. 1. cum Comuni. Patèque inductione. Legatum purum est, pureque fieri dicitur, quando absque ullo adjecto tempore, conditione, vel modo simpliciter fit. §. Omnis. 2. Inst. de Verb. obligat. Quamvis etiam alias latius sumatur, prout nempe omne illud dicitur legatum purum, quòd sine conditione in futurum fit: prout constat ex l. Heres meus. 79. prim. ff. de Condit. & demonstrat. ibi Legatum in diem purum dicitur, quia sub conditione factum non est: dicit namque Lex: *Hæres meus, cum morietur Titius, centum ei dato, purum Legatum*

est; quia non conditione sed morà suspenditur.

Legatum in diem est, & fit, quando Testator quid legat tradendum certo post mortem tempore determinato, ut si dicat Testator: *Lego Titio centum florenos tradendos eidem biennio post mortem meam elapso. arg. toto Tit. ff. Quando dies. Legat. cedat. & cit. §. Omnis. 2. Inst. de Verb. obligat. ibi: In diem, quando adjecto die, quo pecunia solvatur, fiat.* Ubi tamen notandum: quòd si dies vel tempus incertum apponatur, Legatum conditionatum, & non in diem appelletur, l. Dies incertus. ff. de Condit. & demonstrat. ibi: *Dies incertus conditionem in Testamento facit.* Cæterum Legatum in diem hanc proprietatem habet, quòd transmittatur ad hæredes, si Legatarius post mortem Testatoris moritur ante diem solutionis determinatum, l. si post diem. 5. prim. & l. Si dies apposita. 21. ff. Quando dies Legat. cedat. Ratio est; quia post aditam hæreditatem dies statim cedit, ita ut illicitè contrahatur obligatio Legatum solvendi, non quidem statim, sed pro die vel tempore per Testatorem denominato, l. 1. §. Cum dies. ff. de Condit. & demonstrat. Cedere enim diem aliud non est, quam incipere obligationem, licet executioni mandari non statim debeat.

Legatum conditionatum, seu sub conditione est, & fit, quando quid non nisi sub certa conditione de præterito, præsentis, vel futuro præstandum legatur: v. g. sub conditione de præterito fit; dum dicit Testator: *Lego Titio centum, si navis ex India jam advenit.* l. Conditio in præteritum. 100. ff. de V. obl. Sub conditione de præsentis fit, quando Testator dicit: v. g. *Si Rex Romanorum adhuc vivit, centum lego.* l. Cum ad præsens. 37. ff. de Reb. credit. & si cert. petat. Sub conditione de futuro fit, v. g. dicendo: *Centum lego, si navis non erit submergenda; si consul fies &c.* arg. §. Sub conditione Inst. de V. oblig. Et hoc dicitur proprie Legatum conditionatum, seu sub conditione factum; id verò quòd sub conditione de præsentis, vel præterito fit, non nisi in propriè; eò quòd sola conditio de futuro sit proprie conditio, arg. §. Sub condit. Inst. de V. O. & l. Itaque ff. de Rebus creditis. ibi: *Itaque tunc potestatem conditionis obinet, cum in futurum conferatur.* Hinc legata sub conditione de præsentis, vel præterito nullatenus suspenduntur, sed, si conditio vera est, illicitè debentur, si non, evanescent. cit. l. Cum ad præsens. ff. Si certum petat. & §. Conditiones. 6. Inst. de V. O. ibi: *Conditiones, quæ ad præsens, vel præteritum tempus referuntur, aut statim infirmant obligationem, aut omnino non differunt: nam si ea ita non sunt, nihil valet: si autem ita se habet, statim valet.*

Porrò Legatum sub conditione de futuro continetur eodem serè modo se habet, quo institutio hæredis sub conditione, de qua supra n. 437. ita, ut fieri possit, & valeat, si fit honestè & possibilis, potestativa vel casualis, aut mixta: Si verò conditio sit turpis, vel impossibilis, habeatur pro non adjecta; consequenter Legatario Legatum etiam deficiente conditione debeatur, ac si sine omni conditione eisdem factum fuisset. Quod verò conditio potestativa, casualis, mixta, turpis, honesta, possibilis, ac impossibilis, vide supra n. 437.

Quæritur III. Quid Juris de Legatis conditionatis? si nupserit, vel non nupserit? Item si Religionem ingrediat, vel non: Si Ordines suscipiat, vel non. Resp. I. Si alicui, quæ huc usque nunquam erat matrimonio juncta, quid legatur hæc conditio, si non nubat, seu si maneat in statu celibatus, habeatur conditio pro non adjecta, capite Legataria persona totum Legatum, est nubat. Communis ac certa, claris Juribus l. Sed si hoc. 62. cum duabus seq. ff. de Condit. & demonstrat. Ratio est; quia videtur talis conditio esse contra favorem Matrimonii, & Re-

publicæ bonum ex procreatione proli proveniens. arg. l. Hoc modo. 6. ff. eod.

645 Dicitur autem notanter, alicui quæ nunquam erat juncta matrimonio; quia si sub tali conditione videtur quid legatur, conditio adimpleri debet, adeò, ut licet talis vidua dicens, se velle conditionem servare, & à secundis nuptiis abstinere, petere possit Legatum, nihilominus tamen cautionem præstare debeat, quòd nubens iterum resisteret velit acceptum Legatum, textu claro Authen. Cui relictum. C. de Indict. viduit. toll. & Novell. 22. cap. 43. Et per hoc correctè sunt Jura antiqua præced. n. citata, vi quorum talis conditio etiam in Legato viduæ factio habeatur pro non adjecta.

646 Cæterum, quæ de Legato sub dicta conditione factio semel dicta sunt, intelligenda etiam sunt de Legatis hujusmodi factis masculo, ita ut conditio habeatur pro non adjecta, si uxorem adhuc non habuit; valeat verò, si sit vidua, arg. cit. Authen. Cui relictum. C. de Indict. viduit. toll. & ibi Glossa cum communi DD. advertit. Accedit identitatis rationis supra posita.

647 Resp. II. Cum ita legatum sit, Si Titio non nupserit; vel ita, Si neque Titio, neque Sejo, neque Mevio nupserit: & denique, si plures persone comprehense fuerint; magis placuit, cuique eorum si nupserit, amissuram legatum: sunt verba l. Cum ita. 63. ff. de Condit. & demonstrat. ubi etiam ratio subiungitur, videlicet, quòd per talem conditionem Matrimonium absolute non prohibetur; cum alii cuique factis commode possit nubere.

648 Resp. III. Conditio Legato apposita: si nupserit, & liberos acquirierit; vel si certa alicui persone v. g. Titio nupserit, valida, & observanda est, l. Cum ita. 63. & l. Titio centum. §. 1. ff. de Condit. & demonstrat. ubi etiam ratio additur, videlicet, quia licitum est ad Matrimonium certè lege invitare. Limitatur tamen Conclusio in casu, quo persona, cum qua Legatarius vi conditionis contrahere deberet, esset inhonesta, vel nuptiis alterius indigna, Textu claro cit. l. Cum ita. 63. §. 1. ff. eod.

649 Resp. IV. Quamvis Conditio, si nupserit, & liberos procreaverit: vel absolute si nupserit, valida & servanda fit juxta dicta præced. Conclus. tamen habeatur pro non adjecta, si Legatarius aut Religionem ingrediat, aut Sacros Ordines suscipiat. Prima pars de ingredientibus Monasterium, docetur à Pirhing h. t. n. 74. Covarruvias lib. 1. variar. Resolut. cap. 19. à n. 7. usque ad 11. ubi plures alios citat, Molina Disp. 207. num. 13. dicens, in hoc convenire Omnes, arg. Authen. Nisi rogati. C. A. S. C. Trebellian. & Novell. 123. cap. Si quis sub conditione. 37. ubi expressè ita statuitur: *Sancimus, si persone talibus conditionibus subiecte, siye masculi, siye feminae, Monasteria ingrediantur, aut Clerici fiant, tales conditiones invalidas, & pro non scriptis esse.* Ratio est; quia quando non expressè constat de contraria voluntate Testatoris, merito præsumitur voluisse exipere à conditione casum, quo Legatarius Religionem ingrediat.

650 Secunda pars, quòd annullentur similes conditiones etiam casu, quo Legatarius Monasterium non ingrediat, sed manens in saeculo Sacros Ordines suscipit, docetur ab eodem Pirhing h. t. num. 75. Menoch. lib. 4. Præsumpt. 83. n. 65. & seqq. Felin. in cap. 8. de Probat. n. 56. Decis. Consil. 259. n. 5. & 6. Covarruv. lo. cit. n. 10. arg. cit. Novell. 123. cap. 37. ubi divisè loquitur textus: *Si Monasteria ingrediantur, aut Clerici fiant: consequenter satis insinuat alterum sufficere, cum dictio divisiva Vel in quovis ex divisis membris verificetur, arg. l. Ubi autem. §. Illud. ff. de V. O. Accedit, quòd quando Lex de Monachis & Clericis mentionem simul facit,*

per hos ultimos semper intelligat Clericos seculares, arg. l. Deo nobis. 56. C. de Episc. & Cleric. Imò textus ipse aperte indicat, quòd per ly Clerici ibidem intelligat Clericos seculares, hoc ipso, quòd aliter de ingredientibus Monasterium, aliter de Clericis loquitur, statim subseqentibus illis verbis: *Hoc autem solatio Clerici Ecclesiarum fruatur, si usque ad suam vitam in his perseveraverint, ut res sub tali conditione donatas, aut relictas, ad pia opera expendant, & relinquunt (Ecce dispositionem de Clericis) in personis enim, quæ in Monasterium ingrediantur, Monasterio res sub tali conditione donatas, aut relictas, cum alia eorum substantia competere volumus.* Ecce aliam dispositionem de ingredientibus Monasterium. Nullatenus proin attendendus est Abbas, qui in c. In presentia. 8. de Probat. n. 43. Textum allegatum pro sententia contraria interpretari conatur.

Verum fatentur Doctores citati cum Comuni aliorum, duo requiri ad hoc, ut Clericus secularis accipere possit Legata sub conditione, si nupserit, vel liberos acquirierit, sibi facta; videlicet primò, ut in clericatu usque ad mortem perseveret: secundò, ut talia Legata, vel hæreditata ad causas suas applicet; per textum in citata Novella 123. cap. 37. allegatum.

Limitatur autem Conclusio num. 649. posita, iisdem in casibus, quibus supra Conclusionem num. 624. positam limitari diximus, præcipue autem, si Testator manifestè voluntatem suam exprimit, quòd filio, aut filia seu extraneo Legatum vel totum, vel partem denegat, vel adimi velit in casu, quo vel Sacerdos, vel Monachus fiat, expressè v. g. dicendo: *Titio lego ducentos florenos, si nupserit, aut in saeculo remaneat; si verò Ordines Sacros suscipiat, aut Religionem aliquam ingrediat, summò modo centum vel nihil, vel volo, ut præfati ducenti Caso restituantur, omnino valida & servanda est conditio.* Covarruvias lo. cit. cum pluribus aliis ad eodem citatis, Molina lo. cit. n. 14. & 15. ac alii supra num. 625. citati, ob Juris fundamentum ibidem allegatum.

Nec dicas, turpe esse, ac viro Christiano indignum, suæ dispositioni apponere conditionem, quæ quis retrahatur à statu perfectiori, qualis est status Religionis, aut Clericatus, respectu Laicalis; atqui talis est conditio, quæ Testator dicit: *si Titius in saeculo maneat, vel si nubat, vel si liberos acquirat &c. heredem instituo, vel ducentos florenos lego &c.* Si verò Religionem ingrediat, aut Sacros Ordines suscipiat, Cajun substituo, vel summò modo viginti, aut nihil lego. Item si dicit: *Liberos meos, si in saeculo manent, hæredes æqualiter instituo; si verò unus vel plures Religionem ingrediantur, aut Ordines suscipiant, volo, ut eis sola relinquatur Legitima, reliquum cæteris accrescat &c.* ergo. Nam contra est, quòd licet turpe, consequenter illicitum sit, similes conditiones vel ex odio Religionis, vel absque justa causa ex hoc solo fine apponere, ut hæredes vel Legatarii instituti à Religionem vel statu Clericali retrahantur; minimè tamen turpe est, si id ex aliqua justa causa fiat, uti facile fieri potest: v. g. si fit ad conservationem Familiæ, vel Stemmat; vel si remanenti in saeculo plus quam ingredientibus Religionem ideò relinquatur aut legatur, quia ille majori, hinc minori sustentatione indiget: vel quia secularis non autem Religiosus necesse habet: vel quia secularis à Religioso nihil ampliùs, bene verò Religiosus à seculari aliquid temporale sperare ut acquirere potest, vel per Testamentum, vel ab intestato, uti post Covarruviam lo. cit. bene advertit Molina lo. cit. n. 14. & alii.

Resp. V. Conditio, si Religionem ingrediat, vel 654

Sacerdos, aut Clericus fiat, valet, & servanda, vel Legatum sub ea factum dimittendum est. Covarruvias lib. I. variar. Resolut. cap. 19. n. 10. Gomez Tom. I. variar. Resolut. cap. 12. n. 8. Molina Disp. 207. n. 6. & alii. arg. c. 2. de Condit. apposit. & l. Titio. §. 1. ff. de Condit. & demonstrat. Ratio est; quia licet sub spe lucri temporalem aliquem ad Religionem, vel Clericatum invitare, arg. cit. c. 2. de Condit. apposit. Nec obstat, quod juxta n. 644. & Jura ibidem allegata, conditio si non nubat habeatur pro non adjecta: conditio autem si Religionem ingrediatur, aut Sacerdos fiat, tacite involvant dictam conditionem, si non nubat: tum quia neutquam presumendum est, quod Jura per annullationem conditionis non nubendi, annullare etiam voluerint conditionem ingrediendi Religionem, seu Monasterium, vel Clericatum assumendi, utpote cui in omnibus summopere favent, adeo ut alicui heredi vel Legatario sub conditione, si liberos acquirat, instituto, hereditatem vel Legatum Monasterium ingrediendi, vel potius ipsi Monasterio relinquat; est ita ingredienti liberi non nascantur, juxta dicta n. 624. arg. Novella 123. cap. 37.

655 Illud etiam cum citatis DD. hic notandum, quod ea, quae de Legato sub hujusmodi conditionibus factio diximus, etiam intelligenda sint de hereditate, arg. cit. Novell. 132. c. 37.

656 Legato sub conditione plurimum affine est Legatum sub modo, quod tunc fieri & esse dicitur, quando Testator cum certo aliquo gravamine, onere, vel moderamine in futurum quid legat, dicendo v. g. Titio lego mille florenos, ita tamen ut singulis annis Cajo det decem, vel hoc aut illud faciat. arg. tot. Tit. C. de Donation. quae sub modo. Differt hoc Legatum à conditionato per hoc, quod istud suspendatur usque ad purificationem conditionis, indeque evanescat, si ante conditionis adimpletionem Legatarius de vita decedat, juxta dicta superius, & notat Glossa in c. Verum. 4. de Condition. apposit. Econtra verò Legatum sub modo statim valet, & transmittitur cum onere ad haeredes, si per hoc aequè ac per Legatarium modus impleri potest; ut bene observat Glossa lo. cit. arg. l. 1. 2. & 3. C. de Donation. quae sub modo. Molina Disp. 208. n. 2. cum Comuni DD. Solet autem modus regulariter exprimi per dictionem Ut, sicut conditio per Si, & causa per Quia, juxta vericulum Glossae citatae, ibi: Scito, quod ut modus est; si conditio, quia causa. Nec refert, quod Testator faciendo Legatum sub modo utatur verbo conditio, dicendo v. g. Lego Titio bis mille hac conditione, ut Cajo alimenta praestet. arg. c. Verum. 4. de Condit. apposit. & ibi Glossa cum Comuni. Plura de Legato sub modo vide apud Legistas, & Molinam cit. Disp. 208. per totum.

657 Quæritur IV. Quid sit? quomodo fiat? & quomodo valet Legatum sub, seu ex certa causa? Resp. I. Legatum sub, seu ex certa causa est, & fit, quando Testator exprimit finem vel causam aliquam, ob quam praesentem, vel praeteritam alicui quid legat: dicendo v. g. Quia Titius pauper est: vel quia ipse fideliter negotia mea gessit: vel quia caecus est, & proprio labore acquirere nihil potest, lego ei mille: solet autem causa ordinariè indicari per dictiones, quia, quoniam, cum, idè &c. Dicitur notanter, ob quam tanquam praeteritam vel praesentem: quia, si fit ob causam & finem de futuro, non dicitur Legatum ex causa, sed sub modo. Ita cum Comuni, & certa aliorum explicit Legatum sub causa Molina Disp. 209. n. 1. arg. l. Demonstratio falsa. 17. & l. Cum tale. 72. §. Falsam. 6. ff. de Condit. & demonstrat.

658 Resp. II. Est causa, ob quam Testator Legatum fecit, non subsistat, valet nihilo minus Legatum, nisi expressè, vel saltem praesumptivè, indubitanter

tamen consistat, idque haeres sufficienter probet, quod Testator hoc, quod alicui ex certa causa legavit, non legasset, si scivisset, causam non subsistere. Gomez Tom. I. variar. Resolut. cap. 12. nu. 66. Molina loc. cit. num. 8. cum communi aliorum. Claris Juribus §. Longè. 31. Instit. de Legat. ibi: Legato falsa causa adjecta non nocet: veluti si quis dixerit, Titio, quia me absente negotia mea curavit, Stichum do, lego &c. vel ita: Titio, quia patrocinio ejus capitali crimine liberatus sum, Stichum do, lego. Licet enim negotia Testatoris nunquam gesserit Titius, neque patrocinio ejus liberatus sit, Legatum valet. l. Demonstratio falsa. 17. §. Quod autem. & l. Cum tale. 72. §. Falsam. 6. ff. de Condit. & demonstrat. ibi: Falsam causam Legato non obesse, verius est. Rationem addit: quia ratio legandi Legato non coheret; subiungit tamen, quod pro secunda parte Conclusionis nisi &c. facit: sed plerumque doli exceptio locum habebit, si probetur, aliàs legatum non fuisse. Concordat l. 1. & fin. C. de Fals. caus. adject. Leg. & l. Si pater. C. de Hered. instit.

Hinc regulariter loquendo haeredi incumbit probatio, quod Testator alicui Legatum non fecisset, si causam non subsistere scivisset. arg. cit. l. Cum tale. §. Falsam. 6. ff. de Condit. & demonstrat. Limita tamen hoc, si Testator in substantia persona erravit, putans eam esse filium, fratrem &c. cum tamen talis non esset; tunc enim absque ulteriori probatione praesumitur, quod Testator non legasset, si errorem scivisset: quod idem est, si in instituendo haerede circa personam fiat error; textu claro l. Quoties. 9. prin. ff. de Hered. instit. ubi etiam ratio habetur illis verbis: Quoniam voluntate deficiunt. Concordat l. Neque professio. §. C. h. t. & l. Si pater. 4. de Hered. instit.

659 Legato sub causa multum affine est Legatum cum demonstratione, quod fieri & esse dicitur, si Testator circa rem, quam legat, vel personam, cui legat, circumstantiam aliquam, signum, vel accedens exprimit, dicendo v. g. Centum, qui in illa mea cista jacet: vel, quae Cajo mihi debet: vel, quos mihi Sylvius donavit, lego Titio: vel Titiae, quae virgo est, lego mille &c. arg. l. Demonstratio falsa. prin. 17. ff. de Condit. & demonstrat. Circa hujusmodi Legata illud Jura statuunt: quod si extet res illa, & consistat ea, quam legavit, ac si persona, cui legavit, valeat Legatum, est Testator in demonstratione erret: textu claro cit. l. Demonstratio falsa. 17. prin. & §. 1. ff. eod. ubi expressè dicitur, quod Demonstratio falsa, sive sit circa rem, sive circa personam, non obstat Legato. ibi: Si ita servus legatus sit, Stichum coquum, Stichum suorem lego, neque coquus, neque suor sit, ad Legatarium pertinebit; si de eo sensisse Testatorem conveniat. Nam etsi in persona Legatarii designanda aliquid erratum fuerit, constat autem, cui legare voluerit, perinde valet Legatum, ac si nullus error interveniret. Et l. quibus diebus. 40. §. 4. ff. eod. ibi: Qui dotalem fundum nullum habet, ita legaverat: fundum Cornelianum, quem illa mihi doli dedit, ei haeres dato: responderunt, fundum nihilominus Legatum esse: quia cum fundus Cornelianus in rerum natura sit, demonstratio falsa Legatum non perimit. Concordat §. Huius proxima. 30. Instit. de Leg. ubi dicit: Juris regulam esse, falsa demonstratione Legatum non perimit.

Si verò res, quae demonstratur, omnino non existat: ut si dicat Testator: Lego Titio centum florenos, qui in illo loco sunt; & ibi nullas pecunias reperiantur, invalidum est Legatum, l. 1. §. Sed estis dotem. 77. ff. de Dote Praeleg. ibi: Nam si quis ita legaverit centum, quae in arca habeo, nihil deberi constat: quia nulla corpora sunt. Quod si tamen in demonstrato loco aliqua, sed non tota designata pecunia, v. g. solida

solum quinquaginta floreni forent, valerent Legatum quoad istos, l. Si servus. 108. §. Qui quinque. 10. ff. de Legat. l. 1. ibi: Qui quinque in arca habebat, ita legavit, decem, quae in arca habeo, Legatum valet, ita tamen, ut sola quinque ex Testamento debeantur. Hinc etiam Testator dicit: Lego Titio decem, quae Cajo mihi debet, non valet Legatum, si Cajo Testatori nihil debebat, l. Si si. 75. ff. de Legat. l. 1. ibi: Si mihi, quod Titius debet, fuerit Legatum, neque Titius debeat, sciendum est, nullum esse Legatum.

662 Pariter non valet Legatum, si in falsa demonstratione sit error circa substantiam personae: item si haeres sufficienter probat, Testatorem legatum non fuisse, si errorem cognovisset; per Jura num. 658. citata. Et in hoc limitatur doctrina num. 660. postea.

663 Quæritur V. Quae forma, & solemnitas requiratur ad Legatum? Resp. I. Si Legata sunt in Testamento seu inferuntur Testamento, eadem solemnitates regulariter requiruntur ad valorem Legati, quae ad valorem Testamenti illius, cui inferuntur, adeo, ut si Testamentum ex defectu alicujus solemnitatis deficiat, corrumpat etiam Legata profana eidem inserta, nisi Testamentum appositam habeat clausulam Codicillarem. Communis ac certa: Textus expressus est in l. 1. ff. de Jure Codicill. & l. Ex Testamento. 29. C. de Fideicommiss. ibi: Ex Testamento, quod Jura non valet, nec Fideicommissum (particulare) peti potest: & dictum est supra n. 71. & 81.

664 Limitatur tamen Conclusio I. in casu, quo Testamentum praesè est nullum ex causa praerogationis haereditatis necessarii: textu claro Novell. 115. cap. 3. ad finem. ibi: Si verò contigerit in quibusdam talibus Testamentis (ob injustè praerogationem necessarium haeredem nullis) quaedam legata &c. relinquit ea omnia jubemus adimpleri. II. Si haeres ipsemet fateatur defuncti voluntatem l. Non dubium. 16. C. h. t. prout amplius dictum est supra n. 77. III. Si inserta sint Legata pia, haec enim etiam corrumpunt Testamentum valet juxta dicta §. VI. si apposita est clausula Codicillaris, de qua Paragrapho sequenti.

665 Resp. II. Si Legatum quis faciat extra Testamentum, vel sine Testamento, quinque requiruntur & sufficientes testes; sive dein oretens, sive in scriptis fiat. Communis contra Pirhing h. t. n. 87. Textus expressus est in l. fin. §. fin. C. de Codicill. ibi: In omni autem ultima voluntate, excepto Testamento, quinque testes debent adhiberi. Quae verba Legis tam clara sunt, ut capere non valeam, quod Pirhing lo. cit. docere non dubitet, sufficere ad Legatum extra Testamentum conditum duos vel tres testes. Nec enim quidquam pro ipso probat c. Indican. te. 4. h. t. tum quia ex illo plus non probatur, quam quod Legatum etiam solis nudis verbis, id est, absque scriptura fieri possit; non item, quod duo testes sufficientes, prout legenti patet. Tum quia Legata ibidem memorata fuisse privilegia, utpote Monasterio & liberis facta, consequenter ex illo c. pro Legatis profanis nihil probatur. Adducit quidem pro se etiam Abbaem in cit. c. 4. n. 1. hic tamen ibidem solum dicit, posse fieri Legatum nudis verbis absque scriptura, & sine Testamento; etque satis, si probetur per testes: non verò dicit, quod sufficiat probatio per duos testes.

666 Limitatur Conclusio rursus primò in Legatis piis, utpote ad quae tam in, quam extra Testamentum sufficienti duo testes, quicunque rationis capaces, etiam foeminae: vel sola manus propria Testatoris: vel sola notitia ipsius haereditis; cum ad dispositionem pro causa pia penitus nulla requiratur Juris dispositio, sed tantum, ut consistat de voluntate

Testatoris, juxta dicta supra §. VI. Limitatur secundò etiam quoad Legata profana casu, quo ipsemet haeres fateatur defuncti voluntatem: cum enim existente propria confessione adversarii valet absque consueta solemnitate Testamentum juxta dicta supra numero 83; & seq. multo magis valet Legatum.

Resp. III. Ad faciendum Legatum extra Testamentum quinque testes vel rogati, vel qui fortuito venerint, in uno eodemque tempore debent adhiberi: sive in scriptis, sive sine scriptis voluntas conscribatur: Testibus videlicet, quando in scriptis voluntas componitur, subnotationem suam accommodantibus. Sunt verba l. fin. ad fin. C. de Codicillis. Ex quibus colligitur, quod licet testes necessarii non debeant esse rogati, ut in Testamento juxta dicta n. 21. h. t. tamen necessarii eo tempore, quo fit Legatum, simul praesentes esse, ac simul se subscribere debeant, si in scriptis fiat Legatum; non item, si oretens. Subsignatio verò, aut sigillatio testium, nec in scripto Legato necessaria est.

668 Inferuntur, quod cum etiam sine Testamento Legata fieri possint, & Testamentum ex requisitis solemnitate multis invaliditatis, seu impugnationis periculis sint subiecta, plura requirunt, quam alia dispositio ultima, saepe expedit, securius & utilius sit, ultimam suam voluntatem seu dispositionem absque Testamento facere, praesertim tunc, quando alios pro haerede quis institueret, qui de Jure ab intestato succedunt, ut sit apud parentes v. g. liberis gaudentes: sic enim possunt permittere, ut sine Testamento liberi ab intestato succedant, & nihilo minus vel alteri proli pro libitu aliquid praelegare, aut alia Legata pia pro sua anima, vel etiam profana facere. Et quidem, si sola Legata pia faciunt, sufficit, duos testes quoscunque obvios etiam foeminas adhibere, vel voluntatem suam manū propriā annotare: si verò etiam profana Legata faciunt, quinque saltem testes, qui & foeminae esse possunt, adhibere debent. Ubi specialiter illud attendat quis, oportet, ut, dum sine Testamento Legata ordinar, testibus prius indicet, se nolle facere Testamentum, sed tantum Legata, vel Codicillum &c. ne alios haeredes ab intestato similem dispositionem seu voluntatem ultimam impugnent credentes, & dicentes, defunctum voluisse testari, & defectu solemnitatum, invalidum condidisse Testamentum.

669 Quæritur VI. Quænam res, praesertim an aliena legari possit? Resp. I. Quælibet res propria Testatoris tam mobilis, quam immobilis; tam praesens quam futura in humano commercio existens legari potest. Est extra controversiam, per vulgaria. Solum notandum, per futuram rem hic intelligi rem, quae nondum exiit, sed tamen obveniet, v. g. fructus agri jam seminati &c. qui etsi necdum in re, sed tantum in spe existant, legari possunt, Textu claro §. Ea quoque. 7. Instit. de Legat. ibi: Ea quoque res, quae in rerum natura non est, si modo futura est, relicta legatur, veluti fructus, qui in illo fundo nati erunt, aut quod ex illa ancilla natum erit.

Resp. II. Certum est, quod Jure Civili valet Legatum rei alienae nec ad Testatorem, nec ad haeredem spectantis; si Testator scivit, eam esse alienam; secus verò si hoc ignorans putavit, esse rem suam. Est extra controversiam ob clara Jura §. Non solum. 4. Instit. de Legat. ibi: Non solum autem Testatoris vel haereditis res, sed etiam aliena legari potest, ita ut haeres cogatur redimere, vel si eam non potest redimere, estimationem ejus dare. Quapropter si Testator rem alienam cuius legat, tenetur haeres illam à domino justo pretio emere: vel si dominus eam vendere nolit, tantum Legatario dare, quantum res illa aestimatur.